



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Autoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 680. Quinam fideicommissum constituere & quibus relinquere possint.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

verbis magis civilibus, rogationem seu precationem & petitionem præ se ferentibus, dicendo heredi: rogo seu peto, ut mediam partem Cajo restituas: cum verba illa ex hodierno juris usu & communi sententia pro mandato accipiantur.

2. Resp. Ad secundum: præter explicatam jam fideicommissi ut sic divisionem in universalem & particularem aliud est purum, quod nimirum fit sine ulla conditione apposta. v.g. dum absolute & simpliciter dicitur: Titium heredem instituo, voloque, ut hereditatem restituat Cajo. Aliud conditionale, quod non nisi sub certa conditione restituere jubetur hæres. Aliud item præstandum sine dilatione seu statim post mortem testatoris, Aliud dilationem patitur. v.g. ad & in eventum mortis hæres fiduciarii, ut dum dicitur: Titium instituo heredem, & volo, ut post mortem illius hereditas mea deveniat ad Cajum: vel Titium instituo heredem, eique, si sine liberis decedat, substituo Cajum. ita Tusch. *conclus. pract. lit. F. V. fideicommissum. concl. 246. num. 1.* Alex. L. 1. *conf. 14.*

*Quest. 679. Quodnam sit objectum fideicommissi universalis, seu quæ veniant restituenda ab heredem eo gravato.*

1. Resp. Secundum dicta ad *quest. preced. in respons. 1.* in genere: hoc objectum constituit hereditas tota vel pars illius, quantum enim hæres fiduciarius gravatus ex hereditate accepit, tantum, ut fideliter restituat, rogari & gravari potest; nec enim ad plus conveniri, nec minus restituere debet. L. 78. §. 16. ff. ad S. C. Trebell. Referuntur quoque ad hoc objectum, seu simul veniunt in fideicommissi restitutionem accessiones & fructus ex rebus hereditariis percepti ante hereditatis aditionem, quippe hereditatem augentes. L. 27. §. 1. ff. ad S. C. Trebell. l. 33. ff. de acquir. rer. domini. Stru. ad S. C. Trebell. th. 34. lit. a. Lauterb. *ibid.* §. 16. Carpz. *decif. 21. n. 18.* nec interest, an sint fructus civiles, quales sunt usuræ, census, pensiones, mercedes: siue sint naturales, ut sunt fruges scævum, lac, fetus animalium, quin & ancillarum. Non tamen veniunt fructus post aditam hereditatem recepti. *tit. L. 27. §. 1. 42. ff. de usur. & fructib.* nisi facta mora ab heredem gravato in restituendo; vel nisi hæres fuerit iustus etiam hos fructus restituere. L. 22. §. 2. L. 18. §. 2. ff. ad S. C. Trebell. Stru. l. c. lit. y. Muller. *ibid.* Lauterb. l. c. & quidem iustus specialiter. L. 57. ff. eod. & Brunem. *ibidem.* Hunn. *encycl. juris. p. 3. tit. 24. c. 4. n. 36.* Carpz. *decif. 20. n. 21.* Lauterb. l. c. non enim aliis præsumitur testator voluisse nimium gravare. Menoch. L. 4. *presump. 106. n. 18.* Unde si post mortem hereditas restituenda, non censetur iustus hæres restituere fructus licet existantes. *cit. l. 18. §. 57. ad S. C. Trebell. & ibid.* Ripa. *Peregr. de fideicom. c. 46. n. 10.* Gail. L. 2. *obs. 183.* Belold. *part. 5. conf. 245. n. 7.* quos citat & sequitur Stru. l. c. Idque, etiam si testator dixisset: omnia bona mea restituas, seu quidquid ex hereditate bonisque meis ad te pervenerit. L. 83. de legat. 3. Stru. l. c. th. 34. lit. d. Muller. *ibid.* addita hac ratione; quod testator in hoc casu non dixerit simpliciter: ex bonis: sed cum addito meis; fructus autem percepti post aditam hereditatem non erant illius, sed hæredis; quia per illam aditionem facti unum cum propriis hæredis bonis & unum patrimonium: nisi tamen ex aliis circumstantiis constet de alia mente testatoris; ut si dixisset simpliciter: quid-

R. P. *Lew. Jur. Can. Lib. III.*

quid ex bonis supererit post mortem tuam, restitues. de quo vide Muller. l. c. Ubi etiam, quod magna sit diversitas inter hæc duo: quidquid ex hereditate, & quidquid ex bonis supererit.

2. Restituenda quoque fideicommissario rerum hereditariarum, si quæ venditæ, pretia, uti etiam res, quæ ex dictis pretiis comparatæ, dum testator rogavit restituere, quod ex hereditate supererit, tradit Stru. *cit. th. 24. lit. e.* cuius tamen contrarium videtur sentire Muller. in *Srru. ibid.* quem vide.

De cætero sub fideicommissio non cadit feudum ex pacto & providentia, seu de quo disponendi facultatem non habuit defunctus; quia non capitur jure hereditario. Lauterb. ad S. C. Trebell. §. 17. Sed neque jus sepulchrorum. L. 42. §. 1. ff. ad S. C. Trebell. Neque legitima, utpote quæ sine ulla gravamine esse debet & detrahitur. L. 30. 32. 36. c. de inoff. testam. Idque etiam si filius promiserit patri, se nolle eam detrahere. Lauterb. cum Stryck. Neque etiam constitui potest super dote. L. 62. pr. ff. ad S. C. Trebell. utpote quæ succedit in locum legitime. Lauterb. l. c. de his & aliis remittens ad Peregr. de fideicom.

*Quest. 680. Quinam fideicommissum constituere, & quibus relinquere possint.*

1. Resp. Ad primum: fideicommissum, præsertim universale, constituere, seu substitutionem fideicommissoriam facere possunt omnes, qui jus testandi habent. L. 2. ff. de legat. 1. l. 1. ff. ad S. C. Trebell. Peregr. *rr. de fideicom.* Hunn. p. 4. tit. 24. c. 2. n. 15. Wiestn. b. t. n. 203. etsi, ut hic, extra testamentum id facere possint.

2. Resp. Ad secundum: fideicommissum, non ut olim solebat, cuivis, sed solis capacibus directæ institutionis, & quibus cum jure communi est factio testamenti. §. 24. *Inst. juncta l. 1. ff. de legat. 1.* ita ut incapacibus dictæ institutionis hæres illud præstare non teneatur. L. fin. in fin. ff. de his, qui ne indigni. tacite autem fidei secretò interposita relictum fidei vendicat. L. 1. c. de delatorib. fuitque ratio sic statuendi, ne lex reddens incapaces institutionis hereditariæ beneficio fideicommissi facile eluderetur. Perez. in *cod. de fideicom. n. 3.* Zoës. in ff. ad S. C. Trebell. n. 2. §. 3. Haunold. l. c. tr. 7. n. 127. quos citat & sequitur Wiestn. b. t. n. 202. plura de his infra, ubi quibus fideicommissa particularia seu legata relinqui non possunt, quæ etiam de fideicommissis universalibus locum habent.

*Quest. 681. Quinam fideicommissis gravari possint.*

Resp. Omnes & soli illi onerari fideicommissio: seu ad relinquendam hereditatem ejusve partem alteri obligari possunt, quibus ab intestato relinquitur hereditas; vel ad quos aliquid ex testamento vel codicillis defuncti testatoris perventurum est, aut quibus aliquid, ubi potuit, adimi à testatore, ademptum non est. Tales proinde sunt hæredes testamentarii, item venientes ab intestato; cum etiam his defunctus, quod cum potuit, non ademit, dedisse videtur. L. 1. de legat. 3. His non obstante §. 2. *Inst. de fideicom. hered.* ubi dicitur ad fideicommissum opus esse, ut prius quis hæres instituat; cum id verum sit de fideicommissio, quod relinquitur in testamento, non autem de eò, quod relin-

Q99